



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi sancti Vincentij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

BARTHOLOMÆO DE CEPERANO.

Cum dilectus filius Orandinus de Pon-
tecurvo Miles coram dilecto filio Ia-
cobo Subdiacono & Capellano nostro,
quem tibi & ei dedimus auditorem, pro-
posuisset te suum esse vassallum, teque ra-
tione quorundam molendinorum, domo-
rum, vinearum, & quarundam aliarum
possessionum ad se spectantium, ut dicebat,
quæ apud Ceperanum habere dinosceris,
teneri sibi cum unico equo servire, te que
præmissis omnino negante, post præsti-
tum ab utraque parte calumniæ juramen-
tum ad præmissa probandum, idem Oran-
dinus quosdam testes produxit, quibus
postmodum publicatis, cum Subdiacono
memoratus tam dicta testium quam ea
quæ utrinque fuere proposita coram eo
nobis fideliter intimasset, nos eadem in-
iunximus ut de consilio dilecti filij Pelagij
sanctæ Lucie ad septa solis Diaconi Cardi-
nalis sententiam promulgaret. Qui cognos-
cens prædictum Orandinum intentionem
suam minimè fundavisse, cum auctore non
probante reus, etsi nihil præstiterit, de-
beat obtinere juxta legitimas sanctiones,
ab impetitione ipsius de consilio Cardinalis
eiusdem sententialiter te absolvit, super
præmissis omnibus ei perpetuum silentium
imponendo. Nos igitur ejus sententiam
ratam habentes, ipsam auctoritate aposto-
lica confirmamus & præsentis scripti pa-
trocinio communimus. Nulli ergo omni-
no hominum liceat hanc paginam nostræ
confirmationis infringere aut ei ausu teme-
rario contraire. Si quis autem hoc atten-
tare præsumpserit &c. usque incursum.
Datum Ferentini x. kal. Septembris, pon-
tificatus nostri anno undecimo.

MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO
S. R. E. Cardinali.

Ex parte tua nostro est apostolatu re-
seratum quod sæpius dubitasti utrum
cum contingit tuum vassallum decedere &
ad te feudum ipsius redire, feudum ejus
alij liceat tibi dare, cum juramento tenea-
ris astrictus non infeudare de novo, Ro-
mano Pontifice inconsulto. Ad hæc, si vas-
sallum tuum feudum alienare contingat, an
ipsius filium vel consanguineum confor-
tem ejusdem feudi de ipso valeas investi-
re. Alia quoque tua dubitatio continebat
utrum cum feudum alienatum repereris
quod per te facile recuperare non potes,
possis alicui laico in feudum illud concede-
re, qui & illud recuperet & in feudum per
Ecclesiam recognoscat. Nos igitur super

Tom. II.

ius de mente tua scrupulum volentes dubi-
tationis auferre, præsentium tibi significa-
tione mandamus quatinus si quando præ-
fati casus emerferint, in primo feudum
decedentis liberè, si videris expedire, con-
cedas, ac in secundo filium vel consangui-
neum alienantis investiens, in tertio feu-
dum alienatum ei poteris licenter conce-
dere per quem ipsum Ecclesia valeat reha-
bere. Datum Ferentini x. kal. Novembris,
pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Vincentij.

Cum inter vos & venerabilem fra-
trem nostrum Ricc. Episcopum Tre-
ventinum coram dilecto filio nostro Pela-
gio sanctæ Lucie ad septa solis Diacono
Cardinale, cui vos commissimus audien-
dos, controversia verteretur, ipso Epis-
copo proponente quod decimæ possessio-
num quæ sunt circa Rivum obscurum ac
Sangrum versus monasterium vestrum,
ac per habitatores castrorum Rivi obscuri
& Alfedene coluntur, ad ipsum de jure
spectabant, & quod in castris ipsis, utpo-
te in sua diocesi constitutis, per vos scrip-
ta minimè conferri debebat, vobis au-
tem è contrario respondentibus quod etsi
præfata decimæ ad eundem Episcopum
nequaquam alio jure spectarent, tuti ta-
men præscriptione quadragenaria, quam
obligastis vos probaturos, eratis, nos au-
ditis & intellectis rationibus & attestatio-
nibus utriusque partis coram præfato Car-
dinali productis & nobis relatis fideliter
per eundem, ab impetitione ipsius Epis-
copi super decimis prælibatis iustitia vos
absolvimus exigente, imponentes ei si-
lentium super ipsis, collationem vero
chrisimatis in prædictis castris adjudicavi-
mus Episcopo memorato. Nulli ergo &c.
hanc paginam nostræ diffinitionis infrin-
gere &c. Si quis autem hoc attentare præ-
sumpserit &c. usque incursum. Datum
Ferentini xii. Kal. Novembris, pontifi-
catus nostri anno undecimo.

LVCANO EPISCOPO.

Dum olim, frater Episcopo, cum di-
lectis filiis Abbate ac monachis sancti
Salvatoris de Fischecho super plebe de Sa-
lamazano & adjacentibus Capellis ipsius in
nostra præsentia litigando, institutionem
Clericorum in eis & alia ad jus episcopa-
le spectantia vendicares, ad fundandam
intentionem tuam jus commune princi-
paliter allegabas, cujus auctoritate dicebas

E e

Epist. 164.
Confirmatur
quædam sen-
tentia lata pro
156.Epist. 165.
Ut Archiepiscopus
populi Montis
regalis impo-
nar revocari
& honoremEpist. 166.
Eis decimæ ad-
judicantur.Epist. 167.
De feudis licen-
tibus vel non.
C. Ex parte
de feudis.Epist. 167.
Confirmatur
privilegia mo-
nasterij de Fi-
schecho.
Cap. Cum o-
lim. De præ-
scriptis.